

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project (<https://compendium-project.wlu.ca>)

Compendium moralium notabilium (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 5, Liber 2: De bello et hostilitate et de arte bellandi sub his titulis

Unde oriuntur bella: Rubrica 1

Plato in phedrone. Propter pecuniarum possessionem vniversa bella nobis fiunt.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 6. Pugnantes contraria videntur velle.

Salustius in catilinario. Imperii et diuitiarum causa bella atque certamina omnia inter mortales sunt.

Tullius phylippicorum libro 12. et penultimo. Fortitudo dimicare iubet. Iustum odium incendit ad confligendum: impellit vocat ad periculum.

Ouidius epistolarum 15. epistola. Certamen premia magna mouent.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo 4. Unde bella et lites inter vos: nonne hinc ex concupiscentiis vestris que militant in membris vestris.

Lucanus libro 3. Certamen mouistis opes.

Iacobus beneuentanus capitulo 5. Effreni lingua surgere bella solent.

De iustis causis assumendi bellum: Rubrica 2

Aristoteles ethicorum capitulo 7. et finalis. Bellamus vt pacem ducamus.

Tullius phylippicorum libro 7. Que causa iustior est belli gerendi quam seruitutis depulsio. Libro 9. Pro libertate vite periculo decertandum est. Idem de officiis libro i. capitulo 35. Bellum ita suscipiatur: vt nihil aliud nisi pax quesita videatur.

Paulus apostolus epistola 2. ad timotheum capitulo 2. Qui certat in agone non coronatur: nisi qui legitime certat.

Lucanus libro 7. Nulla manus belli mutato iudice pura est.

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola i. Tunc solum vtile est ad arma concurrere cum locum apud aduersarium iustitia non potest inuenire.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 10. et finalis. Quemque decet patriam defendere tempore belli.

Commented [CN1]: fol.125va

De belli pressura periculo et euentu: Rubrica 3

Regum libro 2. capitulo 11. Daudid audito nuncio ioab ducis sui belli: qui rettulerat aliquam partem sue gentis cecidisse in prelio dixit ad nuncium: hec dices ioab: non te frangat ista res. varius est enim euentus prelii: et nunc hunc: nunc illum consumit gladius.

Paralipomenon libro 2. capitulo 25. Dei quippe est et adiuuare et in fugam vertere.

Salustius in iugurtino. Omne bellum sumitur facile: ceterum egerrime desinit: non in euisdem potestate initium eius et finis est.

Uirgilius eneide libro 11. ante medium. Nulla salus bello. Libro 12. et finalis circa principium. Respice res belli varias.

Tullius phylippicorum libro 9. Concede incertos exitus belli esse belli: martemque communem. Libro 12. Incertus exitus belli est. Libro 13. et finalis. Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet.

Ouidius sine titulo seu amorum libro i. capitulo 9. Mars dubius nec certa venus: victique resurgunt. / Quosque neges vnquam posse iacere cadent. Idem methamorphosis libro 13. Tutius est igitur fictis contendere verbis. / Quam pugnare manu.

Seneca tragediarum in thebayde capitulo 5. et finali. Fortuna belli semper ancipiti in loco est.

Lucanus libro 7. Fuge prelia dira.

Frontinus libro 4. titulo 2. Cyrus bello aduersus persas quattuordecim milibus armatorum immensas difficultates superauit. Epamiundas dux tebanorum quattuor hominum ex quibus quadringenti tantum equites erant: lacedemoniorum exercitum vigintiquattuor milium peditum: equitum millesecentorum vicit. A quattuordecim milibus graecorum qui numerus in auxiliis cyri aduersus artaxerxem fuit centum milia barbarorum prelio superati sunt.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 9. Inapto prelio commune est periculum. 16. titulo. Nescio qua occulta ratione immo pene diuina alii contra alios dimicant: et qui fortiores vicerant ab inferioribus sepe vincuntur. 26. titulo et finali. In prelio amplius solet fortuna potestatis habere quam virtus. Occasio in bello amplius solet iuuare quam virtus.

Cecilius firmanus de beata vita libro 4. Sapientis ac boni viri non est velle certare ac se periculo committere: quoniam vincere non est in nostra potestate: et est anceps omne certamen: sed est sapientis ac optimi viri non aduersarium velle tollere: quod fieri sine scelere ac periculo non potest.

Cato capitulo 3. Uictorem a victo superari sepe videmus.

Cassiodorus epistolarum libro 5. epistola 42. Actus detestabilis est certamen infelix cum feris vel contendere: quas fortiores se non dubitat inuenire. Libro 9. epistola 25. et finali. Hostem congregi varius semper euentus est.

Baldo 12. fabula. Est in lucrando fatum variabile quando.

Commented [CN2]: fol.125vb

Gualterius de castellione libro 2. Non mediocris enim furor est exponere bellis. / Uno velle semel fortune cuncta sub ictu.

De eis que prius et potius agenda sunt quam bellum: Rubrica 4

Terentius in eunucho capitulo 18. Omnia prius consilio experiri quam armis sapienter decet.

Ualerius maximus libro 7. titulo sapienter dicta aut facta. Scipio aphricanus negat aliter cum hoste conflagrare debere: quam aut si occasio obuennisset: aut necessitas incidisset.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 9. Omnia ante cogitanda ante temptanda ante facienda sunt quam ad vltimum veniatur abruptum. Boni enim duces non aperto prelio in quo est commune periculum: sed ex occulto semper attentant vt integris suis quantum possunt hostes interimant: certe vel terreant. 26. titulo et finali. Inopia: aut superuentibus: aut terrore melius est hostem domare quam prelio: in quo amplius solet fortuna potestatis habere quam virtus. Boni duces publico certamine nunquam nisi ex occasione aut nimia necessitate conflagrant. Magna dispositio est hostem fame magis vrgere quam ferro.

Commented [CN3]: fol.126ra

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola i. Tunc solum vtile est ad arma concurrere: cum locum apud aduersarium: institia non potest inuenire.

Baldo 18. fabula. Cautius est astu quam se defendere fastu.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiarum capitulo 42. Euentus pugne dubius: victoria belli. / De populo nimio non venit vno deo.

De militia et officio et laudibus militum et sacramento eorum: Rubrica 5

Uegetius de re militari libro 2. titulo 5. Iurant milites omnia se strenue facturos que preceperit imperator: nunquam deserturos militiam: nec mortem recusaturos pro re publica. 18. titulo. In congruum videretur imperatoris militem qui veste et annona publica pasceret vtilitatibus vacare priuatis. 23. titulo et penultimo. Miles sacramento lectus ab exercitio armorum vel nouellus vel vetustus cessare non debet: cui pugnandum est pro salute propria vel libertate communi. 31. titulo. Publicis debent vtilitatibus insudare qui nomen dedere militie. quid enim agat homo si professo desit officio. Libro 3. titulo 3. Diuitiarum secreta non est possessio nisi armorum defensione seruetur. 10. titulo. Quis dubitat artem bellicam rebus omnibus esse potiore: per quam libertas retinetur: et dignitas prouincie propagatur: conseruatur imperium.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 16. Animus ipse in audaciam non potest esse pronus qui diuersa cura fuerit sollicitus. Hanc merito expeditionem nominauere maiores: quia mens deuota preliis non debet aliis cogitationibus occupari. Constat tempore necessitatis illum probari fortissimum virum qui se per multa non distrahit. Libro 11. epistola 37. Sub incerta vita militia est.

Commented [CN4]: fol.126rb

De eligendis ad militiam seu officium bellicum: Rubrica 6

Uegetius de re militari libro i. titulo 2. Constat in omnibus locis et ignauos et strenuos nasci: sed tamen et gens gentem precedit in bello: et plaga celi non tantum ad corporum robur: sed etiam animorum plurimum valet. Omnes nationes que vicine sunt soli nimio calore siccitas amplius quidem sapere: sed minus habere sanguinis dicunt: sic propterea constantiam ac fiduciam cominus non habere pugnandi: quia metuunt vulnera: quia exiguum sanguinem se habere nouerunt. Contra septentrionales populi remoti a solis ardoribus inconsultiores quidem: sed tamen largo redundantes sanguine sunt habere promptissimi. Tyrones igitur de temperatioribus plagis elegendi sunt: quibus et copia sanguinis suppetit ad vulnerum mortisque contemptum: et non possit deesse prudentia: que et modestiam seruat in castris: et non parum prodest in dimicatione consiliis. 3. titulo. Nunquam credo potius se dubitari aptiorem armis rusticam plebem: que sub diuo et in labore nutritur: solis ardorem patiens: vmbre negligens: balneorum nescia: delictiarum ignara: simplici animo paruo contenta: duratis ad omnem malorum tolerantiam membris: cui gestare ferrum: fossam ducere: onus ferre consuetudo de rure est. 5. titulo. Proceritatem tyronum ad victoriam scio semper exactam: ita vt senos pedes vel certe quinos et denas vntias inter alares equites vel in primis legionum cohortibus probarentur. 6. titulo. Sit adolescens martio operi deputandus vigilantibus oculis: erecta ceruice: lato pectore humeris misculosis valentibus digitis longioribus brachiis: ventre modicus: exilior suris et cruribus superflua carne non distentis: sed neruorum duritia collectis. Cum hec in tyrone signa deprehenderis proceritate non magno opere desideres. Utilius est enim fortes milites esse quam grandes. 7. titulo. Piscatores: aucupes: dulciones: linteones omnesque qui aliquid tractasse videbuntur ad muliebria pertinens: longe arbitror propellendos a castris. Fabros ferarios: carpentarios macellarios: et ceruorum aprorum venatores conuenit sociare militie. Hoc est in quo totius reipublice salus consistit: vt tyrone non tantum corporibus: sed etiam animis prestantissimi eligantur. Uires regni et romani nominis fundamentum in prima delectorum examinatione consistunt: nec leue hoc putetur officium aut passim quibuscunque mandatum quod apud veteres inter cetera varia genera virtutum insertorio constat precipue esse laudatum. Iuuentus cui defensio prouinciarum cui bellorum est committenda fortuna et genere si copia superas et moribus debet excellere. Honestas enim idoneum militem reddit. Uerecundia dum prohibet fugere facit esse victorem. Quid prodest si exerceatur ignauus: si pluribus stipendiis moretur in castris. Nunquam exercitus profecit tempore cuius improbandis tyronibus claudicarit electio. A magnis viris magna que diligentia idoneos conuenit eligi digniores. 8. titulo. Plerique quamuis probabiles videantur spe: tamen experimentis comprobantur indigni. Repudiandi sunt minus viles: et in locum eorum strenuissimi subrogandi.

De peritia atque imperitia bellice parationis: Rubrica 7

Quintillianus declamationum 2. declamatione. Principes nos facit seueritas institutorum: ordo militie: amor quidam laboris: est quotidiana exercitatione assidua belli meditatio. Itaque plura pene moribus quem viribus vicimus.

Stattius thebayde libro 8. Sepe ignari perimuntque cadentque.

Commented [CN5]: fol.126va

Frontinus libro 4. titulo 2. Domicius corbulo duabus legionibus et paucissimis auxiliis disciplina correctis parthos substrauit. Alexander macedo quadraginta milibus hominum iam inde a phylippo patre discipline assuefactis orbem terrarum aggressus innumeris hostium copias superauit.

Commented [CN6]: fol.126vb

Uegetius de re militari in prohemio. In omni prelio non tam multitudo et virtus quam ars et exercitium solent prestare victoriam. 3. titulo. Scientiam rei bellice dimicandi nutrit audaciam. Nemine facere metuit qui bene didicisse se confidit. In certamine bellorum exercitata paucitas semper potior est ad victoriam: rudis et indocta multitudo posita est ad cedem. 4. titulo. Melius est vt exercitatus iuuenis causetur etatem numdum venisse pugnandi quam doleat preterisse. 13. titulo. Nihil neque firmitus neque felicitus neque laudabilis est republica in qua abundant milites eruditi. In aliis rebus sicut ait cato siquid erratum est potest corrigi postmodum: preliorum vero delicta emendationem non recipiunt: cum pena statim sequatur errorem: nam aut confestim pereunt qui ignaue imperateque pugnaerunt: aut in fugam versi victoribus vltra pares esse non audent. 28. titulo et finali. Utilius constat erudiri armis suos quam alienos mercede conducere. Libro titulo 22. Si doctrina cesset armorum nil paganus distat a milite. Libro 3. in prohemio. Qui victoriam cupit: milites imbuat diligenter. Qui secundos optat euentus dimicet arte non casu. 4. titulo. Nemo cogitat de tumultu qui fidutiam de arte vel viribus gerit. 6. titulo. Interdum imperita rusticitas plura promittit et credit se scire que nescit. 26. titulo et finali. Paucos viros fortes natura procreat: bona institutione plures reddit industria.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 39. Discat miles in ocio quod perficere possit in prelio.

De experientia et vsu bellici exercitii: Rubrica 8

Seneca de prouidentia. Ad suspensionem vulneris tyro palescit: audacter veteranus cruorem suum spectat: qui scit se sepe vicisse post sanguinem.

Uegetius de re militari libro i. titulo i. Inuenies romanos omnes gentes sola armorum exercitatione vicisse. Nulla enim alia re videmus populum romanum: orbem subegisse terrarum: nisi armourum exercitatio disciplina castrorum usuque militie. Libro 2. titulo 21. Semper in ocio debet fieri quod necessario faciendum videtur in prelio. 22. titulo. Inexercitatus miles semper est tyro. Uelocitas vsu ipso acquiritur corporis: et scientia feriendi hostem seque protegendis: presertim si quominus dimicetur. Quemadmodum bene exercitatus miles prelium cupit: ita formidat indoctus. Sciendum est in pugna vsum amplius prodesse quam vires.

Commented [CN7]: fol.127ra

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 39. Ars bellandi si non preluditur cum fuerit necessaria non habetur. Animos subito ad arma non erigunt nisi qui se ad ipsa idoneos premissa exercitatione confidunt. Libro 3. epistola i. Terribilis est hominibus conflictus: si non sit assiduus: et nisi vsu presumatur concertandi subito fidutia non habetur.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 10. et finalis. Sepius insolito pugna nocere solet.

De velocitate atque pigritia bellatorum: Rubrica 9

Lucanus libro i. Dum trepidant nullo firmante robore partes: Tolle moras semper nocuit differre paratis.

Frontinus in prohemio. Occupatis velocitante consuli oportet.

Uegetius de re militari libro i. titulo 4. Uelocitas est que percepto exercitio strenuum efficit bellatorem. Libro 2. titulo 22. Uelocitas vsu ipso acquiritur corporis. Libro 5. et finalis titulo i. In rebus bellicis celeritas amplius solet prodesse quam virtus.

De ocio et perperessione bellici operis: Rubrica 10

Aristoteles polyticorum libro 7. capitulo 11. Plurime ciuitatum bellantes quidem saluantur: postquam autem obtinuerunt principatum pareunt. rubiginem enim contrahunt sicut ferrum pacem ducentes.

Seneca epistolarum libro 7. epistola 3. Effeminat animos amenitas nimia. Nullum laborem recusant manus que ad arma ab aratro transferuntur. Idem declamationum capitulo 2. Mollit **vim** ocium: ferrum situ rubiginem ducit.

Commented [CN8]: fol.127rb

Frontinus libro 4. titulo 3. Emilianum scipionem traditur in itinere cum amicis ambulanti: accepto pane vesci solitum. Idem et de alexandro macedone: dicitur Massinissam nonagesimum etatis annum agentem meridie ante tabernaculum stantem vel ambulanti capere solitum cibos legimus.

Ualerius maximus libro 7. titulo sapienter dicta aut facta. Amplius claudius crebo solitus erat dicere negocium populo romano melius quam ocio committi: non quod ignoraret quam iocundus tranquillitatis status esset: sed quod animaduerneret prepotentia imperia agitatione rerum: ad virtutem capescendam excitari: nimia quiete in desidia dissolui.

Uegetius de re militari libro 2. titulo i. Exercitus ex ipsa re atque opere exercitii nomen accepit: vt eo nunquam liceret obliuisci quod vocabitur. Libro 3. titulo 9. Pro tyronibus accipiendi sunt qui pugnare longo tempore desierunt. 26. titulo et finali. Exercitus labore proficit ocio consenescit.

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola i. Populorum ferocium corda longa pace mollescunt.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 10. et finali. Nil valet in bello qui viuit delitiose. / Nec sine duritia bellica palma datur.

Gualterius de castellione libro 2. Delitiae molles gladios et vulnus abhorrent.

De prouidencia et preconuisione belli: Rubrica 11

Seneca in prouerbiis. Diu preparandum est bellum vt vincas celerius.

Ualerius maximus libro 7. titulo sapienter dicta aut facta. Scipio aphyricanus turpe esse aiebat in re militari dicere non putabam: quia videlicet explorato et excisso consilio que ferro aguntur administrari oportere arbitrabatur: summa ratione inemendabilis: est enim error qui violentie martis committitur.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 9. Ad rem pertinet qualis ipse aduersarius vel eius comites qui sint nosse: vtrum temerarii: an cauti **an** audaces: an timidi scientes artem bellicam: vel ex casu temere pugnant. Que gentes cum his fortes que ignauie sint: nostra auxilia cuius fidei quarum sunt virium. Quos animos illius copie: quos habeat noster exercitus. Que pars sibi magis victoriam repromittat: ex huiusmodi enim cogitaminibus virtus augetur: aut frangitur. Dux vigilans sobrius prudens tanquam de ciuili causa inter partes iudicaturus adhibito consilio de suis et aduersarii copiiis iudicet: et si multis rebus superior inuenitur: optimum sibi non differat inire conflictum. Si vero aduersarium intelliget potioem certamen publicam vitet. 12. titulo. Ipsa die qua certatur sunt milites quid sentiant diligenter explora. nam fiducia vel formido ex vultu verbis inessu moribus cernitur et cetera. et noueris te oportere differe si exercitati bellatores metuunt dimicare.

Commented [CN9]: fol.127va

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 16. Res preliorum bene disponitur quotiens in pace tractatur. Munitio quippe tunc efficitur preualida si diurna fuerit cogitatione roborata. Male constructio loci: tunc queritur quando iam pericula formidantur. Libro 3. epistola 49. Munitio captanda semper in ocio est: quia tunc male queritur quando necessaria iudicatur.

Isidorus solliloquiorum libro 2. capitulo 20. Improuisus hostis fortiter opprimit.

Andreas capellanus pape Innocentii iiii. libro de disuassione vxoracionis. Considera vires tuas antequam hostem ad eas: ne succumbas et sera sit penitentia cum non erit qui adiuuet vel succurrat.

De preparatione belli necessariorum: Rubrica 12

Uegetius de re militari libro 3. in prohemio. Qui desiderat pacem preparat bellum. 3. titulo. Sepius penuria quam pugna consumit exercitum: et ferro seuior fames est. Reliquis casibus in tempore potest subueniri: papulatio et annona in necessitate remedium non habent: nisi ante condantur. Antequam bellum inchoetur de copiiis expensisque solers debet esse tractatus. 11. titulo. Ueteribus **seculis** mos fuit parco cibo curatos milites ad certamen adducere: vt audaciores sumptu esce redderentur: et longiore conflictu non fatigarentur inedia. 18. titulo. Semper studere debes vt prius instruas aciem: quia ex arbitrio tuo potes facere quod tibi vtile iudicas cum nullus obsistit: deinde et tuis auge confidentiam et aduersariis fidutiam minuis: quia fortiores videntur: quia prouocare non dubitant. Inimici autem incipiunt formidare qui vident contra se acies ordinari: hic additur maximum commodum: quia tu instructus paratusque ordinantem et trepidum aduersarium preoccupas pars victorie est inimicum turbare antequam dimices. 26. titulo et finali. Qui frumentum necessariaque non preparat vincitur sine ferro.

Commented [CN10]: fol.127vb

Cassiodorus epistolarum libro 4. epistola 13. Disciplinam non potest seruare ieunus exercitus: dum quod deest semper presumit armatus.

Versificator fabularum esopi 54. fabula. Unde perire queas hostem munere caueto. / Qui dat quo pereat quem iuuat hoste perit.

De munitione et custodia locorum: Rubrica 13

Frontinus libro 3. titulo 12. Alcibiades athenis ciuitate sua lacedemoniis obsessa veritus negligentiam vigillum denunciauit his qui in stationibus erant vt obseruarent lumen quod nocte ostensurus esset ex arce: et ad conspectum eius ipsi quoque lumina attolent: quo munera qui cessasset penam passurum: dum solicite expectaretur signum ducis: per vigilatum ab omnibus et suspecte noctis periculum euitatum est. Libro 4. titulo 26. Usus inuenit vt acerrimi canes et sagacissimi in turribus nutriantur qui aduentum hostium odore presentiant latratusque testentur. Anseres quoque non minore solertia nocturnos superuentus clamoribus indicant: nam ingressi capitolinam arcem galli romanum nomen euertissent: nisi clamore anseris excitatus mallius restitisset. Mira diligentia siue fortuna viros qui vniuersum orbem erant missuri subiugum auis vna seruauit. Ulro capitulo quod est epilogus. **Solertissime** caueatur: nequando aut potus inopia emergat: aut cibi: quibus malis nulla arte succurritur. Ideoque intra muros tanto plura condenda sunt quanto scitur clausure tempus in obsidentium consistere voluntate.

Commented [CN11]: fol.128ra

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 16. Male constructio loci: tunc queritur quando iam pericula formidantur. Libro 3. epistola 49. Munitione captanda semper in ocio est: quia tunc male queritur quando necessaria iudicatur.

De experientia dubia fide suorum: Rubrica 14

Frontinus libro 4. titulo i. Thegenos atheniensis cum exercitum megaram duceret petentibus ordines respondit ibi se daturum: deinde clam equites premisit eosque hostium specie in pratum in socios retorquere iussit. Quo facto cum tanquam ad hostium occursum prepararentur permisit: ita ordinari aciem vt quo quis voluisset loco consisteret. Et cum inertissimus quisque retro se dedisset: strenui autem in fronte prosiliuissent vt quem cunque inuenerat stantem: ita ad ordines milites prouexit. Titulo. 7. Picrates dux atheniensium classem suam hostili habitu instruxit: et ad eos quos suspectos habebat inuectus cum effuso studio exciperetur deprehensa eorum perfidia oppidum diripuit.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 26. et finali. Nunquam miles in acie producendus est cuius antea experimenta non ceperis.

De explorationibus et exploratoribus: Rubrica 15

Frontinus libro i. titulo 2. Scipio aphricanus capta occasione mittende ad syphacem legationis: cum lelio seruorum habitu tribunos et centuriones electissimos ire iussit: quibus cure esset prospicere regias vires. Hi cum liberius castrorum positionem scrutarentur: equum de industria dimissum tanquam fugientem persecuti maximam partem munimentorum circuierunt. Que cum

nunciassent incendio **confectum** est bellum. Carthaginenses cum animaduertissent alexandri ita magnas opes vt a phrice quoque immineret: vnum ex ciuibus virum acrem nomine amilicarem thodium vixerunt simulato exilio ire ad regem omnique studio in amicitiam eius peruenire. Qua is potitus consilia euis nota ciuibus suis faciebat. Idem Carthaginenses miserunt qui per speciem legatorum longo tempore rome morarentur: exciperentque consilia romanorum. M. cato in hispaniam: quia ad hostium consilia alia via peruenire non potuerat iussit trecentos milites simul impetum facere in statione hostium raptumque vnum ex his in castra perferre incolumen: tortusque ille omnia suorum archana confessus est.

Commented [CN12]: fol.128rb

Uegetius de re militari libro 3. titulo 26. et finali. Difficile vincitur qui vere potest de suis et aduersarii copiis iudicare. Cum explorator hostium latenter oberret in castris: omnes ad tentoria sua per diem redire iubeantur: et statim deprehendatur explorator.

De occultandis consiliis inimicis contra hostes: Rubrica 16

Frontinus libro i. titulo i. Portius cato deuictas a se ciuitates hispanie existimabat in tempore rebellaturas fiducia murorum: scripsit itaque singulis vt dirumperent monimenta: minatus bellum nisi confestim obtemperassent. Epistolasque vniuersis ciuitatibus eodem die reddi iussit vnaqueque vrbium sibi soli credit imperatum. Contumaces conspiratio potuit facere si omnibus idem denunciari votum fuisset. Tarquinius superbus pater principes sabinorum interficiendos arbitratus: quia hoc nemini volebat commissum nihil nuncio respondit qui ad eum a filio erat missus: tamen virga eminentia papauerum capita cum forte in orto ambularet decussit: nuncius sine responso reuersus renunciauit adolescenti tarquinio quid agentem patrem vidisset: ille intellectus idem esse eminentibus faciendum. M. lucius crassus percunctanti quo tempore moturus esset castra respondit: vereris ne tubam non audias?

Uegetius de re militari libro 3. titulo 6. Cautele caput est vt ad que loca vel quibus itineribus sit profecturus exercitus ignoretur. Tutissimum namque in expeditionibus creditur facienda nesciri. Securus iter agitur quod agendum hostes minime suspicantur. 26. titulo et finali. Nulla consilia sunt meliora quam illa que ignorauerit aduersarius antequam facias. Cum consilium tuum cognoueris aduersariis proditum dispositionem mutare te conuenit. Quid fieri debeat tractato cum multis: quid vero facturus sis cum paucissimis: vel potius ipse tecum. Quo genere depugnaturus sis nesciant hostes: ne aliquibus remediis resistere moliantur.

Commented [CN13]: fol.128va

De modo quantitatis exercitus habendo: Rubrica 17

Frontinus libro 2. titulo i. Luculus aduersus metridatem et trigonem in armeniam maiorem apud tigranam certamen eum ipse non amplius quindecim milia armatorum haberet: hostes innumerabilem multitudinem eoque ipso inhabilem vsus hoc euis incommodo: nondum ordinatam hostium aciem inuasit: atque ita protinus dissipauit vt ipsi quidem reges abiectis insigniis fugerent.

Uegetius de re militari libro i. titulo 8. In omni conflictu non tam prodest multitudo quam virtus. Libro 3. titulo i. Exercitus dicitur tam legionum quam etiam auxiliorum: necnon etiam equitum ad gerendum bellum multitudo collecta huius modus a magistris queritur armorum: nam cum xersis et darii et mitridatis ceterorumque regum qui innumerabiles armauerunt populos exemplaria releguntur: euidenter apparet nimium copiosos exercitus magis propria multitudine quam hostium virtute depressos: nam pluribus casibus subiacet amplior multitudo: in itineribus pro mole sua: semper est tardior: in longiore autem termino agmine etiam a paucis superuentum assolet pati: in locis autem asperis vel fluminibus transeundis propter impedimentorum moras sepe decipitur. Ueteres qui remedia **difficultatum** experimentis didicerant non tam numerosos quam eruditos armis exercitus habere voluerunt. Itaque in leuioribus bellis vnam legionem mixtis auxiliis. id est 10000. peditum et 2000. equitum crediderunt posse sufficere quam manum pretores velut minores duces ad expeditionem seducerentur ducebant. Quid si magne hostium copie: consularis potestas 2000. peditum et 4000. equitum tanquam comes maior mittebatur. Quod si infinita multitudo ex gentibus ferocissimis rebellasset: tunc nimia necessitate cogente duo duces et duo mittebantur exercitus: consules ambo. alter denique cum diuersis regionibus contra diuersos hostes a populo romano annis prope omnibus pugnaretur. Ideo sufficiebant militum copie: quia melius videbatur non tam grandes exercitus habere quam plures. 26. titulo et finali. Amplius viuat virtus quam multitudo.

Commented [CN14]: fol.128vb

De aciebus et ordinibus exercitus disponendis: Rubrica 18

Uegetius de re militari libro i. titulo 26. Nihil magis prodesse constat in pugna quem vt assiduo exercitio milites in acie dispositos ordines seruent: nec vbi nisi contra quam expediat conglobent agmen aut laxent: nam et constipati spacia pugnandi perdunt: et sibi inuicem impedimento sunt. Et rariores atque interlucentes aditum perumpendi hostibus prestant: necessarium est statim metu vniuersa confundi si intercisa acie dimicandum in terga hostis accesserit. Producendi tyrones sunt semper ad campum: et secundum matricule ordinem in acie dirigendi: ita vt in primo simplex extensa sit acies: ne quos sinus ne quas curuaturas habeat: vt equali legitimoque spacio miles distet a milite. Tunc precipiendum vt subito duplicent aciem: ita vt in ipso impetu esse ad quem respondere solent ordo seruetur. tertio precipiendum vt quadrata aciem repente constituent. Quo facto in trigonum quem cuneum vocant acies ipsa mutanda est: que ordinatio plurimum **prodesse** consuevit in bello. Iubentur etiam vt instruant orbem: quo genere cum vis hostium interrumpit aciem resisti ab exercitatis militibus consuevit ne omnis multitudo fundatur in fuga et graue discrimen immineat. Hec si iuniores assidua meditatione perceperint facilius et in ipsa dimicatione seruabunt. Libro 3. titulo 14. Acies dicitur exercitus instructi frons que aduersum hostes spectat hec in publica pugna si sapienter disponitur plurimum iuuat. si imperite quamuis optimi bellatores sint mala ordinatione franguntur. Inuentionis lex est vt in primo exercitati et veteres milites collocentur quos ante principes vocabant. In secundo ordine circumdati catafractis sagittariis et optimi milites cum spiculis vel lanceis ordinantur: quos prius hastatos vocabant. Singuli autem armati in directum trinos pedes inter se occupare consueuerunt: hoc est in mille passibus mille sexcenti sexaginta sex pedes ordinantur in locis vt nec acies interluceat et spacium sit arma tractandi. Inter ordinem autem et ordinem a tergo illatum sex pedes distare

Commented [CN15]: fol.129ra

voluerunt: vt haberent spacium pugnantes accedendi atque recedendi. vehementius enim cum saltu et cursu tela mittuntur. In ordinibus his duobus et etate maturi et vsu confidentes et muniti et grauioribus armis collocantur. hi ad inuicem numeri nec cedere nec sequi aliquando cogendi sunt: ne ordines turbent. Sed venientes aduersarios excipere: et stando pugnandoque repellere vel fugare. Tertius ordo disponitur de armaturis velocissimis: de sagittariis iuuenibus. de bonis iaculatoribus. quos ante ferentarios nominabant. Quartus idem ordo construitur descutatis expeditissimis. de sagittariis iunioribus et de his qui acriter virtutis: vel marcio barbulis quas plumbatas nominant: qui dicebantur leuis armatura. Sciendum est ergo stantibus duobus primis ordinibus tertium et quartum cum missilibus et sagittis primo loco semper exire: qui si hostes in fugam vertere potuerint. ipsi cum equitibus persequuntur. Si vero ab hostibus pulsati fuerint: redeunt ad primam et ad secundam: et in ipsos recipiunt se ad loca sua. prima autem et secunda acies cum ad hispellas et pellam vt dicitur ventum fuerit totum substinet bellum. In quinta acie ponebatur interdum carobalista et manu balistarii: fundibulatores: funditores. Fundibulatores sunt qui fustibus lapides iaciunt. Fustus est longus pedibus quattuor: cui per medium ligatur funda decorio: et vtraque manu impulsus ad instar onagri dirigit saxa. Funditores sunt qui fundis lino vel setis factis has enim dicunt meliores esse cum torto circa caput brachio dirigunt saxa quibus scuta deerant: siue lapidibus manu iactis: siue misilibus in ordine dimicabant. Sextus ordo post hos a firmissimis et scutatis et omni genere armorum munitis bellatoribus tenebatur: quos antiqui triarios vel tibarios appellabant: hi vero requieti et integri vt acrius hostes inuadant post vltimas acies sedere consueuerant. siquid enim primis ordinibus acidisset: de horum viribus reparationis spes tota pendeat. 15. titulo. Magis expedit vt confestim pugnent: quam longius separatim: nam si nimium fuerit acies attenuata cito ab aduersariis facta impressione dirumpitur: et nullum potest postea esse remedium. 17. titulo. Optima ratio est et ad victoriam plurimum confert vt electissimos de peditibus cum vicariis comitibus tribunisque vacantibus habeat dux post aciem preparatos: alios circa cornua et alios circa medium: vt sicubi hostis vehementer insistit ne rumpatur acies prouolent subito et suppleant loca: additaque virtute inimicorum audacia frangatur. hoc primi latones inuenerunt. Imitati sunt carthaginenses. romani postea vbique seruauerunt. hac dispositione nulla melior inuenitur. Si de loco suo ordinatum militem transferre ceperis: vniuersa turbabis. si globus hostium separatos: aut alam tuam: aut partem aliquam vrgere ceperit: nec superfluos habeas quos contra globos opponere possis: siue pedites siue equites de acie tuleris: dum alia vis defendere alia perniciosius denudabis. Si bellatorum copia tibi non abundat: melius est aciem habere breuiorem: dummodo in subsidiis colles plurimos: nam circa medias partes campi et peditibus bene armatis debes habere electissimos: de quibus cuneum facias. et statim hostium acies rumpas. contra cornua autem de contatis loricatis equitibus ad hoc seruatis et leui armatura peditum alas hostium circumuenire te conuenit. 19. titulo. Obseruandum est ne sub ipso quo committitur pugna velis ordines commutare: aut de locis suis aliquos vniuersos numeros ad alia transferre. statim enim nascitur tumultus atque confusio: atque in imparatos conturbatosque facilius hostis incumbit. 26. titulo et finali. Melius est post aciem plura seruare presidia: quam latius militem spargere. Qui dispersis suis inconsulte sequitur: quam ipse acceperat aduersario vult dare victoriam.

Commented [CN16]: fol.129rb

Commented [CN17]: fol.129va

De modis artificiosis preliandi: Rubrica 19

Tullius tusculanarum questionum libro 2. Profunda voce omne corpus incenditur: venitque plaga vehementior.

Uegetius de re militari libro i. titulo 9. In ipso conflictu ac dimicatione telorum bellator cum cursu saltuque veniens aduersarii perstringit oculos mentesque deterret: priusque plagam infligit quam ille ad cauendum vel ad resistendum certe se preparat. 12. titulo. Cesim pugnantes non solum facile vincere: sed derisere romani. Cesura enim quouis impetu venit: non frequenter interfecit: Cum et armis vitalia defendantur et ossibus at contra puncturas duras vncias ad acta mortalis est: necesse est enim vitalia penetret quicquid immergitur. Deinde cum cesura infertur brachium dextrum latusque nudatur: punctura vero recto corpore infertur: et aduersarium sautiat antequam videat. Libro 3. titulo 14. Uehementius cum saltu et cursu tela mittuntur. 15. titulo. Magis **expedit** vt confertim pugnent quam longius separatim: nam si nimium fuerit acies attenuata cito ab aduersariis facta impressione dirumpitur: et nullum potest postea esse remedium. 18. titulo. Imperitorum est vel ignauorum vociferare de longe cum hostes magis terreantur si cum telorum ictu clamoris terror accesserit. 26. titulo et finali. Qui dispersis suis inconsulte sequitur: quam ipse acceperat aduersario vult dare victoriam.

Commented [CN18]: fol.129vb

De audacia: timore: spe: et desperatione et magnanimitate bellatorum: Rubrica 20

Salustius in catilinario. Quanta cuiusque animo audacia natura: aut moribus mesta: tanta in bello patere solet. Semper in bello his maximum est periculum qui maxime timent. Audacia pro muro habetur. Necessitudo etiam timidos fortes facit.

Uirgilius eneide libro 2. in medio. Una salus victis nullam sperare salutem.

Seneca de naturalibus questionibus libro 3. Nullus perniciosior hostis est quam quem audacem angustie faciunt: longe violentius semper ex necessitate quam ex virtute confligitur: aut certe paria conantur animus magnus et perditus.

Frontinus libro 4. titulo 5. C. I. Marcellus cum in manus gallorum imprudens incidisset circumspiciende regionis qua euaderet eam equum in orbem flectit. deinde cum omnia esse infesta vidisset deprecatus deos in medios hostes irrupit: quibus inopinata audacia percussis: ducem quoque eorum trucidauit atque vbi spes salutis vix superfuerat: inde optima retulit spolia.

Ualerius maximus libro 3. titulo de fiducia sui. Scipio emilianus vti spiritus egregius successor cum vrbem preualidam obsideret suadentibus quibusdam vt circa menia eius ferreos murices spargeret omniaque vada plumbatis stabulis habentibus clauorum **cacumina** consterneret ne subita irruptione hostes in presidia nostra impetum facere possent. Respondit non esse eiusdem et capere aliquos velle et timere.

Commented [CN19]: fol.130ra

Uegetius de re militari libro i. titulo i. Scientia rei bellice dimicandi nutrit audaciam. 3. titulo. Minus mortem timet qui minus delictiarum nouit in vita. 20. titulo. Necesse est vt acriorem dimicandi sumat audaciam qui munito pectore vel capite non timet vulnera. Libro 3. in prohemio. Nemo prouocare nemo audet offendere quem intelligit superiorem esse si pugnet. 9.

titulo. Ad rem pertinet nosse quos animos aduersarii copie quos habeat noster exercitus: que pars sibi magis victoriam repromittat. eiusmodi enim cogitationibus virtus augetur aut frangitur. Cauendum est ne dubitantem formidantemque exercitum ad pugnam publicam aliquando producas. 10. titulo. Qui ante longum tempus aut omnino nunquam viderunt homines vulnerari vel occidi cum primum aspexerint perhorrescunt: et pauore confusi de fuga magis quam de conflictu incipiunt cogitare. Facilius est ad virtutem nouos imbuere: quam reuocare preteritos. 12. titulo. Ipsa die qua certaturi sunt milites quid sentiant diligenter explora. nam fiducia vel formido ex vultu verbis incessu moribus cernitur et cetera. et noueris et oportere differre si exercitati bellatores metuunt dimicare. Animis pene omnium hominum hoc naturaliter euenit vt trepidant cum ad conflictum hostium venerint: sine dubio autem infirmiores sunt quorum mentes ipse confundit aspectus: sed quo hec remedio formido lenitur si antequam dimices frequenter exercitum tuum locis tutioribus ordines: vnde et videre hostem et cognoscere consuescant: interdum audeant aliquid ex occasione: aut fugent: aut interimant: inimicorum mores aduersariorum arma equos recognoscant: nam que ex visu sunt non timentur. 22. titulo. Qui ante congressum recedit ex acie suis fiduciam minuit: et inimicis addit audaciam. 25. titulo. Nunquam exultantibus maius solet euenire discrimen quam cum exhibita fortia in formidine commutantur. 26. titulo et finali. Nunquam ad certamen publicum perduxeris militem: nisi cum videris eum sperare victoriam. Libro 4. titulo 25. Necessitas quedam virtutis est desperatio. Libro 5. et finali titulo i. Nemo bello lacescere aut facere audet iniuriam ei regno vel populo quem expeditum et promptum ad resistendum vindicandumque cognoscit.

Baldo 11. fabula. Hic ope virtutis spes est vbi nulla salutis.

Gualterius de castellione libro 4. Spes sane resuscitat egrum / Agmen: et in vultu victoria visa sedere.

Gaufridus in poetria capitulo 30. Si timor incuruet mentem: simulatio vultum / Erigat: et clypeo vultus succurre timori. / Immo magis sperare velis pigeat patentem / Uulgari pallere vultum. si posse sit artum: / Dilates animum. si corpus debile: mens sit / Fortis: et exiguas vires supplere memento / Spe grandi.

De aduersis occultandis hostibus: Rubrica 21

Frontinus libro 2. titulo 7. Quintus sertoribus cum acie decertaret: barbarum qui ei nunciauerat hirculegium periisse pugione traiecit: ne in aliorum notitiam perferret: et ob hoc animi suorum infirmarentur. Elabiates atheniensis cum abidenis prelio vrgeretur: subitoque magno cursu tristem animaduertisset aduentare tabernarium prohibuit palam dicere quid afferret: deinde secreto sciscitatus a farnabendo regio prefecto classem suam oppugnari celatis hostibus et militibus prelium finit: ac protinus ad eripiendam classem ducto exercitu opem tulit suis. T. Labienius post pharsalicam pugnam cum victis partibus duratium refugisset: miscuit vera falsis et non celato exitu pugne equatam partium fortunam graui vulnere cesaris finxit: et hac simulatione reliquis pompeiarum partium fiduciam fecit. 10. titulo. Todius in hispania cum accerimo prelio conflixisset quod vix dirimerat magno numero vtrimque ceso: complura suorum corpora interempta nocte sepelienda curauit. Hispani postero die ad simile officium progressi: quia

Commented [CN20]: fol.130rb

Commented [CN21]: fol.130va

plures ex ipsorum numero quam ex romanis cesos repererant victos se esse secundum eam dinumerationem argumentati: ad condiciones imperatoris descenderunt.

De exhortatione et incitatione suorum ad bellum: Rubrica 22

Frontinus libro i. titulo 11. Fulvius nobilior cum aduersus samniticum numerosum exercitum et successibus tumidum paruis copiis necesse haberet decertare: simulauit vnam legionem hostium a se corruptam ad proditorem: imperauitque ad euis rei fidem tribunis et primis ordinibus et centurionibus quantum quisque pecunie: aut auri argentique haberet conferret vt representari merces proditoribus posset. Se autem his qui contulissent pollicitus est consummata victoria ampla insuper premia daturum. Que sua persuasio romanis alacritatem attulit et fiduciam: vnde etiam preclari victoria commisso statim bello parata est. Cesar aduersus germanos et regem arionistum pugnaturus confusus suorum animis pro concione dixit nullius se eo die opera nisi decime legionis vsurum quo consecutus est vt decima tanquam precipue fortitudinis testimonio concitarentur et ceteri pudore ne penes alios gloria virtutis esset. A. fabius qui egregie sciebat romanos esse libertatis que contumelia exasperatum et a penis nihil iustum: aut moderatum expectabat misit legatos carthaginem de conditionibus pacis. Quas cum illi iniquitatis et insolentie plenas retulissent exercitus romanorum ad repugnandum concitatus est. Agesilaus lacedemoniorum dux cum prope ab octomeno scitia ciuitate castra haberet: comperissetque plerosque ex militibus preciosissima rerum deponere intra munimenta: precepit opidanis ne quid ad exercitum suum pertinens reciperetur: quo ardentius dimicaret miles qui sciret sibi pro omnibus suis pugnandum. Epaminunda dux thebanorum aduersus lacedemonios dimicaturus vt milites non solum viribus suis: verumetiam affectibus adiuuantur pronunciauit in concione destinatum lacedemoniis se victoria potentur omnes virilis sexus interficere: vxoribus autem eorum et liberis in seruitutem adductis thebas diruere. Qua concione concitati primo impetu thebani lacedemonios expugnauerunt. Fabius maximus veritus nequa fiducia nauium ad quas refugium erat minus constanter pugnaret exercitus incendi eas priusquam inieret prelium iussit.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 9. Desperantibus crescit audacia adhortatione ducis. Et si nihil ipse timere videatur. Crescit animus si ex insidiis vel occasione aliquid fortiter fecerit si hostibus aduerse res ceperint aduenire. 12. titulo. Monitis oratione ducis exercitus virtus accrescit et animus: precipue si futuri certaminis talem acceperint rationem quasi sint facile ad victoriam peruenturi. tunc inimicorum ignauia vel error ostendendus est: vel si ante a nobis superati sunt commemorandum: dicenda et quibus militum mentes in odium aduersariorum iuxta indignationem moueantur.

Boetius in musica libro i. capitulo i. Manifestum est in bello pugnantium animos tubarum carmen accendi.

De remouendo timore a suo exercitu: Rubrica 23

Ualerius maximus libro 7. titulo de strategematibus. Tullius hostilius cum omnibus militaribus copiis fidenas aggressus fuit que surgentis imperii romanorum cunabula crebis rebellionibus

Commented [CN22]: fol.130vb

torpere passe non sunt: finitimisque tropheis ac triumphis altam virtutem eius spes suas vltius promouere docuerunt. Mecius fufecius dux abbanorum dubiam et suspectam semper societatis sue fidem repente in ipsa acie detexit. detecto enim romani exercitus latere in proximo colle conscendit pro adiutore speculator pugne futurus: vt aut victis insultaret: aut victores fessos aggrediretur. Non erat dubium quin ea res militum romanorum animos debilitatura esset cum eodem tempore et hostes conflagere: et auxilia deficere cernerent. Itaque ne id fieret tullus prouidit concitato enim equo omnes pugnantium globos percucurrit: predicans suo iussu se cessisse mecium. eumque cum ipse signum dedisset inuasurum fidenatium terga. Quo imperatorie artis consilio metum fiducia mutauit: proque trepidatione alacritate suorum pectora repleuit.

Commented [CN23]: fol.131ra

Frontinus libro i. titulo 11. et finali. Scipio ex Italia in aphricam transportato exercitu cum egrediens nauem perlapsus esset: et ob hoc attonitos milites cerneret id quod trepidationem afferebat constantia et magnitudine animi in hortationem conuertit. et audite inquit milites aphricam oppressi. Epaminundas thebanus instante aduersus lacedemonios pugna cum sedile in quo resederat succubisset: et id vulgo pro tristi significatione confusi milites interpretarentur: immo inquit vitamur sedere.

De suis cohercendis ad pugnam: Rubrica 24

Frontinus libro 2. titulo 8. Q. Attilius consul bello sauinico ex acie refugientibus in castra militibus aciem suorum opposuit affirmans secum et bonis ciuibus dimicatuos eos nisi cum hostibus maluissent. Phylippus veritus ne impetum sytarum sui substinerent fidelissimos equitum a tergo posuit: precepitque ne quem commilitonum ex acie fugere paterentur perseuerantius ab euntes trucidarent. Qua denunciatione cum fecisset vt etiam timidissimi mallent ab hostibus quam a suis interfici victoriam acquisiuit.

De suis infidelibus seu criminosis caute emittendis vel puniendis: Rubrica 25

Commented [CN24]: fol.131rb

Ualerius maximus libro 2. de disciplina militari. Alpero et abscesso castigationis genere militaris disciplina indiget: quia vires armis constant. que vbi a recto tenore desiuerint oppressura sunt nisi opprimantur.

Frontinus libro 3. titulo 16. Diodotus cum presidio amphybolim tueretur et duo milia tracharum suspecta haberet que videbantur vrbem direptura mentitus est paucas hostium naues proximo littori applicuisse easque diripi posse qua specie simulata trachas emisit: ac deinde clausis portis non recepit.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 4. Dux debet esse attentus vt in omnibus legionibus siue auxiliis vel vexillationibus tribunis vicariis principiisque. si qui turbulenti vel seditiosi fuerint milites. non pro inuidia suggerentium sed procerum agendum aliquid quod ipsius prope videatur optabile: aut ad castra vrbesque deputet minuendas atque seruandas: tanta subtilitate vt cum abiiciuntur videantur electi. Nunquam enim ad contumaciam pari consensu multitudo prorumpit:

sed incitatur a paucis: qui viciorum scelerumque impunitate sperant peccare cum plurimis. Quod si fieri medicinam necessitas extrema persuaserit. rectius est more maiorum in auctores criminum vindicari: vt ad omnes metus ad paucos pena perueniat. Laudabiliores duces sunt quorum exercitum ad modestiam labor et vsus instituit: quam illi quorum milites ad obedientiam formido suppliciorum compellit.

De infidelitate suorum eminentium dissimulanda et caute corrigenda: Rubrica 26

Frontinus libro 3. titulo 16. L. Marcellus cognito consilio bartei nolani qui corrumpere ad defectionem populares studebant et hannibali gratificabant quod illius beneficio curatus inter canenses saucius: et ex captiuitate remissus ad suos erat qui interficere edes ne supplicio eius reliquos concitaret nolanos non audebat: accersitum ad se allocutus est dicens fortissimum eum militem quod ante ignorasset hortatusque est vt secum moraretur: et super verborum honorem equum quoque ei donauit. Qua benignitate non illius tantum fidem: sed etiam popularium qui ex illo pendebant sibi obligauit. Libro 4. et finali titulo 7. et finali. Q. Maximus tranfugere ad hostes volentem stantem tabilium nobilem clare opere equitem vocari ad se iussit: eique se excusauit qui inuidia commilitonum virtutes illius ad id tempus ignorasset. Tum donato ei equo pecuniam insuper largitus obtinuit vt quem ex conscientia trepidum accersierat: letum admitteret: et ex dubio in reliquum non minus fidelem quam fortem haberet equitem.

Commented [CN25]: fol.131va

Rubrica 27: De temerario furore suorum eminentium caute mitigandum vel remouendum

Frontinus libro i. titulo 8. Coriolanus cum ignominiam damnationis sue bello vlsceretur populationem patritiorum magnorum inhibuit: deustis vastatisque plebeiorum: vt discordiam moueret qua consensus romanorum distingueret. Hannibal fabium cui nec virtute neque arte bellandi par erat vt in familia distingueret agens eius abstinuit ceteros populatus. Contra ille ne suspecta ciuibus fides esset magnitudine animi effecit publicatis possessionibus suis. Legati romanorum cum missi essent ad antiochum regem qui secum hannibalem victis iam carthaginensibus habebat consiliumque aduersus **romanos** instruebat crebris cum hannibalem colloquiis effecerunt vt isi regi fieret suspectus. cui gratissimus aliquando erat et vtilis propter calliditatem et peritiam bellandi. Quintus sertorius cum barbaro rege traciorum rationis indocili eodem consilio vsus est: nam cum intercepte fuissent epistole eius ad regios amicos scripte in omnes eos rex animaduertit spoliatusque consiliis amicos postea parare non potuit. Libro 3. titulo 6. Cleominus atheniensis trecenos qui presidium craterum tenebant aggressus. tela quedam in quibus scriptum erat venisse se ad liberandum eorum rem publicam inter muros iecit. et eodem tempore captiuos quosdam conciliatos sibi remisit: qui craterum detractarent: per hoc consilium seditione intestinaria apud obsessos conciliata admoto exercitu potitus est ciuitate. Titulo 16. Hannibal a transfugis vltus est. nam cum aliquos ex militibus suis sciret transisse proxima nocte: nec ignoraret exploratores hostium in castris suis esse palam pronunciauit: retulerunt transfugas vocari solertissimos milites: qui ipsius iussu exierunt ad excipienda hostium consilia: auditisque pronunciauit: retulerunt exploratores ad suos. Tunc comprehensi a romanis transfuge amputatis manibus remissi sunt.

Commented [CN26]: fol.131vb

Uegetius de re militari libro 3. titulo 10. Inter hostes discordiarum scire serere causas sapientis est ducis.

De cautelis inducendi suspitiones malignas inter hostes: Rubrica 28

Tullius phylippicorum libro 11. Quis est qui ad bellum inflammato animo futurus sit spe pacis oblata.

Ualerius maximus libro 3. titulo de fiducia sui. Publius scipio postquam aphricam attigit speculatores hannibalis in castris deprehensos et ad se perductos nec supplicio affecit: nec de consiliis ac viribus penorum percunctatus est: sed circa omnes manipulos diligentissime ducendos curauit: interrogatosque an **satis** ea considerassent que speculari iussi erant prandio dato ipsis iumentisque eorum incolumnes dimisit. Quo tam pleno fiducie spiritu: prius animos hostium quam arma contudit.

Commented [CN27]: fol.132ra

Frontinus libro 2. titulo 9. L. silla his qui preneste obsidebantur occisorum in prelio ducum capita hastis prefixa ostendit: atque ita in obstinatorum perueicaciam fregit. Domicius corbulo cum tigrano cretam obsideret: et armeni pertinaciter viderentur tolerare obsidionem inuaduum ex megestanis quos ceperat animaduertit: caputque eius in balista excussum intra munimenta hostium misit: id forte decidit in medium concilium quod tamen maxime habebant barbari: ad cuius conspectum velut obstento consternati ad deditionem festinauerunt. Libro 3. titulo 5. Clearcus lacedemonius exploratum habens trachas omnia victui necessaria: in montes comportasse: vna quoque ope sustentari quod crederent eum commeatus inopia recessurum. per id tempus quo legatos eorum venturos opinabatur aliquem ex captiuis in conspectu iussit occidi: et membratim tanquam alimenta in contubernia distribuit. Traches nihil non facturum perseuerantie causa cum credentes qui tam detestabiles epulas substinuisset experiri in deditionem venerunt. G. Gracus lusitanis dicentibus in decem annos cibaria se habere et omnino obsidionem non expauescere: vndecimo inquit anno vos capiam. Qua voce preterriti lusitani quam instructu commeatibus statim se tradiderunt. Titulo 6. Mago dux carthaginensium victo genpisonem et in quadam turre circumsepto suspiciatus ventura ei subsidia per fugam misit qui persuaderet appropinquantibus captum iam pisonem qua ratione deterritis eis reliqua victoriae consumauit.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 28. Semper studere debes vt prius instruas aciem: quia ex arbitrio tuo potes facere quod tibi vtile iudicas cum nullus obsistit. deinde et tuis auges confidentiam et aduersariis fidutiam minuis: quia fortiores videntur qui prouocare non **dubitant**. Inimici autem incipiunt formidare qui videntur contra se acies ordinari: hinc additur maximum commodum: quia tu instructus paratusque ordinantem et trepidum aduersarium preoccupas: pars victoriae est inimicum turbare antequam dimices.

Commented [CN28]: fol.132rb

Prouerbia uulgaria. Homo asaui emezo combatuto.

De cautelis tollendi vel minuendi hostibus animositatem dimicandi: Rubrica 29

Frontinus libro 2. titulo 4. G. suplicius petitus consul: contra gallos dimicaturus iussit muliones clam in montes proximos cum mulis abire: et idem conserto iam prelio velut equis insidentes obstantare se pugnantibus. Quare galli existimantes aduentare auxilia romanis cessere iam pene victores. Manus circa aquas sextias cum in animo haberet postera die depugnare aduersus theotonos marcellum cum parua manu equitum peditumque nocte post hostium terga misit et ad implendam multitudinis speciem agasones lixasque armatos simul ire iussit. Iumentorumque magnam partem instratorum cum tuniculis vt per hoc facies equitatus obieceretur precepitque vt cum animaduertisset nuri prelium ipsi in terga hostium descenderent. Qui apparatus tantum terroris intulit quod asperimi hostes in fugam versi sunt. Licinius crassus fugitiuorum bello apud calamatum educturus milites aduersus castum et camoneum duces gallorum duodecim cohortes cum catone portio et marcio ruffo. legatis post montem circummisit. Qui cum commisso iam prelio a tergo clamore sublato decurrissent: ita fuderunt hostes vt vbique fugatis quod capescerent. Valerius leuinus aduersus pyrrhum occiso quodam gregali tenens gladium cruetum exercitui vtrique persuasit pyrrhum interemptum. Quamobrem hostes destitutos se ducis morte credentes consternati a mendacio se pauidi in castra receperunt. Titulo 5. Alchiabides dux atheniensium nauali prelio decertaturus constituit malos quosdam in promuntorio precepitque his quos ibi relinquebat vt cum commissum prelium sensissent panderent vela. Quo facto consecutus est vt hostes aliam classem in auxilium superuenire ei arbitrati verterentur. Titulo 7. M. Cato cum ambrachiam eo tempore quo socie naues ab etolis oppugnabantur imprudens vno lembo appulisset tanquam nihil secum presidii haberet: cepit signum voce gestuque dare quo videretur subsequentes suorum naues vocare. Ea asseueratione hostem terruit tanquam plane appropinquarent: qui quasi ex proximo citabantur. Etoli ne aduentu romane classis opprimerentur reliquerunt oppugnationem. Libro 4. et finali titulo 7. Mago cum locri obsiderentur a crispino classis nostre perfecto diffundit ad romana castra rumorem. Hannibalem ceso mario ad liberandum obsidione locros venire. clam deinde equites emissos iussit a montibus qui in conspectu erant se offendere. Quo facto effecit vt crispinus hannibalem adesse ratus conscendens nauem fugeret.

Uegetius de re militari libro 2. titulo 13. Plurimum terroris hostibus armorum splendor importat. quis credat militem bellicosum cuius dissimulatione ac rubigine arma fedantur. Libro 3. titulo 6. Subita necessitas terret prouisa non solent esse formidini. 26. titulo et finali. Subito conterentur hostes.

De cautelis fligendi hostes vano terrore: Rubrica 30

Ualerius maximus libro titulo strategematibus. Agatocles siracusarum rex cum urbem eius maiore ex parte carthaginenses occupassent exercitum suum in aphricam transiecit: vt metum metu vim vi discuteret: nec sine effectum: nam repentino eius aduentu perculsi peni libenter incolumitatem suam salute hostium redimerunt: pactique sunt vt in eodem tempore: et aphrica siculis et siculi puniceis armis liberarentur.

Commented [CN29]: fol.132va

Frontinus libro i. titulo 3. Scipio manente in Italia hannibale transmisso in apfricanam exercitu necessitate carthaginensibus imposuit reuocandi hannibalem. Sic a domesticis finibus hostile transtulit bellum. Titulo 8. M. Curius aduersus sabinos qui ingenti exercitu conscripto relictis finibus suis nostros occupauerant occultis itineribus manum misit que desolatos agros eorum vicosque per diuersa incendit. Sabini ad arcendam domesticam vastitatem recesserunt. Curio contingit et vacuos infestare hostium fines: et exercitum sine prelio auertere sparsumque cedere. Libro 3. titulo 6. P. Cornelius Scipio intellecta difficultate expugnandi deliuium: quia concursum omnium defendebatur. aggredi alia oppida cepit: et euocatis ad suam defendendam singulis vacuatum auxiliis deliuium cepit.

Commented [CN30]: fol.132vb

De cautelis inferendis hostibus dantibus veras occasiones recedendi ab oppressione: Rubrica 31

Frontinus libro 2. titulo 4. Cresus preualido hostium equitatu camelorum gregem opposuit: quorum nouitate et terrore consternati equi non solum insidentes precipitauerunt: sed peditum quoque suorum ordines protriuerunt vincendosque hosti prebuerunt. Uolsorum castra cum prope virgulti siluam posita essent: camilus ea omnia que conceptum ignem vsque in vallem proferre poterant incendit: et sic aduersarios exiit castris. Hispani contra amilcarem boues vehiculis aduinctos. prima fronte constituerunt vehiculaque rede sepi et sulphuris plena signo pugne dato incenderunt. actis deinde in hostem bobus consternatam aciem proruperunt. Libro 4. et finali titulo. 7. Hannibal regi antiocho monstrauit vt in hostium classem vascula iacularentur viperis plena. quare metu perterriti milites a dimicatione et nauticis ministetiis impedirentur. Sic fecit iam cedente classe sua prusias.

Commented [CN31]: fol.133ra

Uegetius de re militari libro 3. titulo 18. Pars victoriae est inimicum turbare antequam dimices.

De turbandis hostibus: Rubrica 32

Frontinus libro 2. titulo i. Fabius maximus non ignarus gallos et samnites primo impetu preualere: suorum autem infatigabiles spiritus inter moras decertandi etiam incalescere imperauit militibus contenti essent primo congressu substinere: vt hostem mora fugaret. Quod vbi successit: admoto etiam subsidio suis in prima acie vniuersis viribus oppressum fudit hostem. Phylippus ad cheroniam memor sibi esse militem longo vsu duratum. Atheniensibus acrem quidem sed inexercitatum et impetu tantum violentum ex industria traxit prelium. moxque languentibus iam atheniensibus concitatus intulit signa et ipsos cecidit. Titulo 2. Marius aduersus cymbros acetheunos. constituta die pugnaturus firmatum cibo militem ante castra collocauit vt per aliquantulum spacii quo aduersarii dirimebantur exercitus hostium potius labore itineris profligaretur. fatigationi eorum deinde incommodum aliud obiecit: ita ordinata suorum acie vt aduerso sole vento et puluere barbarorum occuparetur exercitus. Temistocles dux atheniensium. cum videret vtilissimum grecie aduersus multitudinem xersis nauium in angustiis salaminis decernere idque persuadere ciuibus non posset. solertia effecit vt a barbaris ad vtilitates suas greci compellerent. simulata namque prodicione misit ad xersem qui indicaret populares suos de fuga cogitare: difficilioremque rem ei futuram si sigulas obsidione aggredereetur. Qua ratione

efficit vt exercitus barbarorum primum inquietaretur dum tota nocte in statione custodie est. deinde vt sui mane integris viribus cum dictis barbaris vigilia marcentibus confligerent: loco vt voluerat arto in quo xerses **multitudine** qua prestabat vti non posset. Titulo 5. Hannibal aduersus mucium dictatore nocte in tempesta: sexcentis equitibus imperauit vt plures turmas segregati per vicos sine intermissione circa castra hostium se ostentarent. Ita tota nocte romanis in vallo statione ac pluua que forte continuata fuerat inquietatis confectisque. cum receptui signum iam minus dedisset hannibal suos requietos eduxit et castra euis inuasit. Epaminundas thebanus in eundem modum cum lacedemonii archinon vallo ducto pelapponneson tuerentur paucorum opera leuis armature tota nocte inquietauit hostem: ac deinde prima luce vocatis suis cum lacedemoniis se recepissent subito vniuersum exercitum quem quietum habuerat admouit: et per ipsa munimenta destituta propugnatoribus irrupit. Titulo 96. Marius victis prelio theutonis reliquias eorumque nox circunuenerat circunsedens sublatis subinde clamoribus per paucos suorum territauit insomnemque hostem detinuit: ex eo assecutus vt postero die inrequietum facilius debellaret. Libro 3. titulo 17. Emilius paulus vniuersis liguribus improviso ad ortis castra euis. Simulatio timore diu continuit militem. deinde fatigatorium hoste a quattuor portis eruptione facta strauit cepitque ligures.

Commented [CN32]: fol.133rb

De fatigandis seu inquietandis hostibus ante conflictum: Rubrica 33

Lucanus libro primo. Dum trepidant nullo firmante robore partes. Tolle moras. semper nocuit differre paratis.

Frontinus libro 2. titulo i. B. Scipio in hispania cum comperisset hasdubalem penorum ducem ieiuno exercitu mane processisse in aciem continuit in horam septimam suos: quibus preceperat vt quiescerent et cibum caperent. Cumque hostes inedia siti sub armis fatigati repetere castra cepissent subito copias duxit et commisso prelio vicit. **Metellus** pius in hispania aduersus hirculenum cum ille in oriente protinus die instructam aciem vallo euis admonuisset feruidissimo tunc tempore anni in castra suos continuit in horam diei sextam: atque ita fatigatos estu facile integris et recentibus suorum vicit viribus. Uirgeneus consul in voleis cum precurrere hostes effusos ex longinquo vidisset quiescere suos ac defixa teneri pila iussit: tunc anhelantem integris viribus exercitus sui aggressus auertit. Cesar bello ciuili: cum exercitum afranii et petreii circunallatum situ angerent: isque ob hoc exasperatus intersectis omnibus impedimentis ad pugnam descendisset: continuit suos: arbitratus alienum dimicandi tempus: quod aduersarios ira et desperatio incenderat. Gneus pompeius fugientem mitridatem cupiens ad prelium compellere elegit tempus dimicationi nocturnum: vt abeunti se opponeret: atque ita preparatus subitam hostibus necessitatem decertandi iniecit. preterea sic constituit aciem vt pontiquorum quidem oculos perstringeret aduersa luna: suis autem illustrem et conspicuum preberet hostem. Luculus aduersus mitridatem et triganem in armeniam maiorem apud triganam cretam cum ipse non amplius quin decim milia armatorum haberet hostes innumerabilem multitudinem eoque ipso inhabilem vsus hoc eius incommodo: nondum ordinatam hostium aciem inuasit: atque ita protinus dissipauit vt ipsi quidem reges abiectis insignibus fugerent. Libro 3. titulo 17. et penultimo. Gneus pompeius fugientem ad duratium non tantum obsidione liberauit suos: verumetiam post eruptionem quam opportuno loco et tempore fecerat cesarem ad castellum quod

Commented [CN33]: fol.133va

duplici monitione instructum erat auide irrumpentem exterior ipse circumfixus corona obligauit: vt ille inter eos quos obsidebat et eos qui extra circumuenerant medius non leue periculum et detrimentum senserit. Libro 4. et finali titulo 7. et finali. P. Scipio in lidia cum die ac nocte imbre continuo vexatum exercitum antiochi videret: nec homines tantum aut equos deficere: verum arcus quoque madentibus neruis inhabiles factos: exhortatus est fratrem vt postero quamuis vt religioso die committeret prelium. Qua quidem sententia secuta victoria est.

Commented [CN34]: fol.133vb

Uegetius de re militari libro titulo 11. Veteribus seculis mos fuit parco cibo curatos milites ad certamen educere: vt audaciores sumptu esce redderentur: et longiore conflictu non fatigarentur inedia. Obseruetur ne longo spacio fatigatum militem ne ue lassos post cursum equos ad publicum prelium cogas. Multum enim virium labore itineris pugnaturus amittit. Impar conditio est lassus cum reparato sudati cum alacri currentis cum eo qui stetit subire conflictum. 13. titulo. Bonum ducem conuenit nosse magnam partem victorie ipsum locum in quo dimicaturus est possidere. labora ergo vt conserturus manuum primum auxilium capias ex loco qui tanto vtlior inuenitur quanto superior fuerit occupatus. In subiectos enim vehementius tela descendunt: et maiore impetu obnitentes pars altior pellit: qui aduerso nititur cliuo duplex subit cum loco et hoste certamen. 14. titulo. Ordinaturus aciem tria debet ante prospicere: solem: puluerem ventum. nam sol ante faciem eripit visum. ventus contrarius tua inflectit ac deprimit hostium adiuuat tela. puluis a fronte congestus oculos impedit et claudit. In itineribus iam fatigatis: in fluminum transgressione diuisis: in paludibus occupatis: in iugis montium laborantibus: in campis exsparsis: atque securis in mansione dormientibus. opportunum semper prelium inferitur. Cum aliis negociis occupantur hostes: prius intermantur quam preparare se possint. In imparatos conturbatos: quia facilius hostis incumbit. In imparatis cibum capientibus in itinere lassus equos suos pascentibus: ac nihil tale suspiciantibus: superuentus assolet fieri: quod et nobis vitandum est: et hosti in huiusmodi occasionibus perniciis inferenda. in hoc enim casu oppressis nec virtus potest nec multitudo prodesse. 26. titulo et finali. Amplius prodest sepe locus quam virtus.

Commented [CN35]: fol.134ra

De eligenda commodiori suppetentia incitandi hostes et preliandi contra eos: Rubrica 34

Frontinus libro 2. titulo 6. Gaius cesar germanos inclusos ex desperatione fortius pugnantes emitti iussit. fugientesque aggressus est. Hannibal cum ad transmenum inclusi germani accerime pugnarent deductis ordinibus fecit eis abeundi potestatem euntesque sine sui suorumque sanguine strauit. Antigonus rex macedonum exolis qui in obsidione ab eo compulsi fame vrgebantur statueratque ruptione facta commori viam fuge dedit. atque ita infracto impetu eorum insecutus aduersos cecidit. Agesilaus lacedemonius aduersus thebanos cum acie confliget intellexissetque hostes locorum conditione clausos ob desperationem fortius dimicare: laxatis suorum ordinibus aperta que thebanis ad euidendum via rursus in abeuntes aciem contraxit et sine iactura suorum cecidit aduersos. G. Manilius consul cum ex acie reuersus capta ab etruscis romana castra inuenisset omnibus portis statione circumdatis inclusos hostes in eam rabiem efferauit: vt ipse in prelio caderet. quod animaduertentes legati eius ab vna parte remota statione exitum etruscis dederunt et effusos persecuti occurrente altero consule fabio ceciderunt. Pirrus epirotarum rex inter cetera precepta imperatoria memorie tradidit non esse pertinaciter instandum hosti fugienti: ne non solum a se fortius ex necessitate resisteret: sed vt postea quoque facilius

cederet non vsque ad perniciem fugientibus instaturo victore. Libro 3. titulo 11. Agesilaus dux lacedemoniorum cum focenses obsideret et intellexisset eos qui tunc presidio illis erant iam grauari belli incommodo paululum regressus tanquam ad alios actus liberam occasionem recedendi his dedit. non multo post milite reducto destitutos focenses superauit. Libro 4. et finali titulo 7. Scipio aphricanus dicere solitus est hosti non solum danda esse viam fugiendi: sed esse muniendam.

Commented [CN36]: fol.134rb

Uegetius de re militari libro 3. titulo 21. Plerique rei militaris ignari plenioram victoriam credunt si aduersarios: aut locorum angustiis: aut armatorum multitudine circunderint vt non inueniat aditum abscedendi sed clausis ex desperatione crescit audacia. et cum spei nihil est sumet arma fortitudo libenter cupit commori qui sine dubio scit se esse moriturum. Ideoque scipionis laudata sententia est qui dixit viam hostibus qua fugerent minuendam. Nam tunc abscedendi aditu patefacto mentes omnium ad prebenda terga consentiunt. multi more pecudum trucidantur: nec insequentium vllum periculum est cum victi quibus defendi potuerant arma conuertunt. Hoc genere quanto maior fuerit tanto facilius multitudo prosternitur: neque enim ibi requirendus est numerus vbi animus semel territus non tam tela hostium cupit declinare quam vultum. ceterum clausi licet exigui numero et infirmi viribus hoc ipso sunt tamen hostibus pares: quia desperantes fiunt. Aliud sibi non posse licere: sed vna salus victis nullam sperare salutem.

Quod hostes non sunt inducendi ad pugnandum: sed excludendi: Rubrica 35

Frontinus libro 2. titulo 5. Romulus per latebras copiarum parte disposita cum ad fidenas accessisset simulata fuga temere hostes insecutos eo perduxit vbi oculos habebat milites. Qui vndique adorti effusos et incautos ceciderunt. Uiriatus ex latrone dux celtiberorum cedere se romanis equitibus simulans vsque ad locum voraginosum et prelatum eos perduxit: cum ipse persolitos ac notos sibi transitus euaderet romanos ignaros locorum immensos limos cecidit. Alexander ex epirotis aduersus illyricos collocata in insidiis manu quosdam ex suis habitu illiricorum instruxit et iussit vastare suam. id est epiroticam regionem: quod cum illyrii viderent fieri ipsi passim predicari ceperunt eo securius quo precedentes veluti pro expugnatoribus habebant: a quibus ex industria in loca iniqua deducti: cesi: fugatique sunt. Hi qui aduersus eritreos bellum gerebant speculatorem eorum in loco edicto deprehensum occiderunt: et vestem eius suo militi dederunt: qui ex eodem iugo eritreos signo dato insidias euocauit. Scipio aphricanus cum aduersa bona haberet hostium castra syphatium et carthaginiensium statuit syphances vbi multa incendii alimenta erant aggredi nocte ignemque mittere vt ea re numidas quidem ex suis castris trepidantes cederet: penos autem quos certum erat ad succurrendum sociis dispositis exciperet: vtrunque ex sententia incessit namque sine armis ad fortuitum incendium procurrentibus adortus cecidit. Titulo 12. Ephicrates atheniensis cum campestribus locis castra haberet explorassetque traces ex collibus per quos vnus erat descensus nocte ad diripienda castra venturos clam duxit exercitum ex vtroque latere loci per quem transituri erant traces ex collibus collocauit: hostem ibi decurrente in castra in quibus multi ignes per paucorum curam instituti speciem manentis ibi multitudinis seruabant a lateribus adortus oppressit. Libro 3. titulo 2. Symon dux athiensium in caria insidiatus cuidam ciuitati religiosum incolis templum diane lucumque qui extra muros erat noctu improuisus incendit effusisque oppidanis ad opem aduersus

Commented [CN37]: fol.134va

ignes ferendam vacuum defensoribus cepit ciuitatem. Titulo 9. Trasibulus dux milesiorum vt portum siciomorum occuparet a terra subinde oppidanos temptauit: et illo quo lacescebantur conuersis hostibus classe inspectata portum cepit. Pericles penomesorum castellum oppugnaturus in quo duo omnino erant accessus: alterum fossa interclusit: alterum muniuit. Castellani ab altera parte securiores facti eam solam quam muniri videbant custodire ceperunt. Pericles preparatis pontibus iniectisque super fossam qua non caebatur subiit castellum. Anthiocus aduersus ephesios rodiis quos in auxilio habebat precepit vt nocte portum cum magno strepitu inuaderent: ad quam partem cum tumultu omni multitudine decurrente. nudatis defensore aliis munitionibus ipse aggressu aduerso ciuitatem cepit. Titulo 10. Uiriacus disposito per occulta milite paucos misit qui abigerent pecora socrobrigensium: atque illi vendicanda cum frequentes precurrissent: simulantes fugam predatores persequerentur: deducti in insidias cesique sunt. Scordisci equites cum aeretia e duarum partium presidio prepositus esset luculus: pecora abigere simulantes prouocauerunt eruptionem fugam deinde mentiti sequentem luculum in insidias deduxerunt: et octingentos cum eo milites ceciderunt.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 9. Pauciores numero et inferiores viribus superuentus et insidias facientes sub bonis ducibus reportauerunt sepe victoriam.

De insidiis disponendis contra hostes: Rubrica 36

Frontinus libro i. titulo i. Cesar quod suspectam habebat egyptiorum fidem per speciem securitatis inspectione vrbs atque operum: ac simul licentioribus conuiuii debitus videri voluit captum sese gratia locorum vt ad mores alexandrinis vitaque deficeret: atque inter eam dissimulationem preparatis subsidiis occupauit egyptum. Uetidius partico bello aduersus partorum regem non ignarus farneum quendam natione tyriestrem ex his qui socii videbantur omnia que apud ipsos agerent nunciare parthis: persidiam barbari ad vtilitates suas conuertit: namque maxime fieri cupiebat ea vereri se ne acciderent que timebat ea vt euenirent optare simulabat. Sollicitus itaque ne parthi ante transirent eufrathem quam sibi superuenirent legiones quas in capadocia terras taurum habebat studiose cum proditore egit vti solemnem perfidia parthis suaderet per zeuma traiceret exercitum: qua et breuissimum iter est et omisso alueo eufrathes decurrit. Nanque si illac venirent asseuerabat se opportunitate collium vsurum ad eludendos sagittarios: omnia autem vereri si se in patentes campos proiecissent. Inducti hac affirmatione barbari inferiore itinere per circuitum adduxerunt exercitum. dumque fusiores ripas et ob hoc operosiores pontes iungunt instrumentaque moliuntur quadraginta amplius dies impenderunt quo spacio ventidius ad contrahendas vsus est copias. Egesilaus lacedemonius tenentibus angustias thebanis per quas transire habebat flectit iter quasi thebas contenderet: exterritis thebanis digressisque ad tutanda menia: repetitum iter quo destinauerat emersus est nullo obsistente. Titulo 8. G. didius paucitatem suorum diffidens cum in adimentum earum legionum quas expectabat trahere bellum et occurrere eis hostem comperisset: concione aduocata aptari iussit milites ad pugnam: ac de industria negligentius custodiri captiuos: ex quibus pauci qui perfugerunt nunciauerunt suis pugnam imminere. at illi ne suspitione prelii deducerent vires omiserunt occurrere eis quibus insidiabantur: legiones tutissime nullo excipiente ad didium peruenerunt. Bello punico quedam ciuitates qui a romanis deficere ad penos destinauerant: cum

Commented [CN38]: fol.134vb

Commented [CN39]: fol.135ra

obsides quos recipere antequam desisterent studebant simulauerunt seditionem inter finitimos ortam: quam **romanorum** legati dirimere deberent. Missosque eos velut contraria pignora retinuerunt: nec ante reddiderunt quam ipsi recuperarent suos. Agesilaus lacedemonius cum inferret bellum tisapherne cariam se petere simulauit: quasi aptius locis montuosis aduersus hostem equitatu preualentem pugnaturus: per hanc consilii ostensionem aduocato in cariam tisapherne ipse lidiam ubi caput hostium regni erat irripuit: oppressisque qui illic agebant pecuniam regiam potitus est. Libro 2. titulo 5. Hannibal missus a carthaginiensibus aduersus aphros rebellantes cum sciret gentem audiam esse vini: magnum eiusmodum mandragora permiscuit cuius inter venenum ac saporum media vis est: tunc prelio leui commisso ex industria cessit: nocte deinde in tempesta relictis intra castra quibusdam sarcinis et in omni vino infecto fugam simulauit. Cunque barbari occupatis castris in gaudium effusi medicatum merum hausissent et in modum defunctorum strati iacerent reuersus cepit eos ac trucidauit. Lapiges p. lucinio proconsuli pagos quoque sub specie deditiois obtulerunt. Qui recepti et in postrema acie collocati terga romanorum ceciderunt. Melacus dux atheniensium cum prouocatus a rege hostium xanto boetio descendisset ad pugnam: vt primum cominus stetit: inique inquit xante et contra pactum pacis. aduersus enim vnum solum cum altero processisti. cunque admiratus ille qui suam se comitarentur respexisset aduersum vno ictu confecit. Menorodius nauali prelio cum haberet ducentarum nauium classem: et hostium naues elicere ad pugnam vellet. Ita ordinauit suos vt paucarum nauium malos erigerent: easque primas agi iuberent. hostes autem procul conspicati numerum arborum et ex eo nauium quoque coniecturantes obtulerunt se certamini et a pluribus occupati superatique sunt. Titulo 12. Chares dux atheniensium cum expectaret auxilia et vereretur ne interea contemptu presentis paucitatis hostes castra eius oppugnarent: complures ex eis quos **habebat** per aduersam partem nocte missos iussit quam precipue conspicui forent hostibus redire in castra: et accedentium nouarum iurium speciem prebere: atque ita simulatis auxiliis tutus est donec instrueretur expectatis. Libro 3. titulo i. Domicius caluinus cum obsideret lyciam oppidum ligurum non situ tantum et operibus verum etiam oppugnatorum prestantia tutum: circuire muros frequenter omnibus copiis instituit: easdemque reducere ad castra. Qua consuetudine inductis ita oppidanis vt crederent exercitationis id gratia facere romanum et ob hoc nihil ab eo conatum cauentibus: morem illum ob ambulandi in subitum direxit impetum: occupatisque menibus expressit quod seipsos dederunt et oppidum. Titulo 2. Archades mesenorum castellum obsidentes factis quibusdam armis ad similitudinem hostium eo tempore quo successura alia presidia his explorauerunt instructi eorum qui expectabantur ornatu admissique per hunc errorem vt socii: possessionem loci cum strage hostium adepti sunt. Titulo 3. Cyrus persarum rex comitem suum copirum explorata eius fide truncata de industria facie ad hostes dimisit. Ille asserente iniuriarum fide creditus inimicissimus cyro cum hanc persuasionem adiuuaret percurrere propius quotiens acie decertarent: et in eum tutela dirigendo. commissa sibi babyloniorum urbem tradidit cyro. Titulo 8. Dionysius syraculanorum tyrannus cum aphri ingenti multitudine transituri essent in siciliam ad eam oppugnandam castella pluribus locis muniuit: custodibusque precepit vt eadem conuenientis hosti dederunt dimissisque syracusas redirent. Aphros necesse fuit capta castella presidio ibi tenerent. Quos dionysius reductos ad quam voluerat paucitatem pene par numero aggressus vicit: cum suos contraxisset et aduersarios sparsisset. Titulo 11. Formion dux atheniensium cum depopulatus esset agros calchidensium: legatis eorundem ea requirentibus benigne respondit. et nocte qua ad missurus illos erat finxit

Commented [CN40]: fol.135rb

Commented [CN41]: fol.135va

litteras sibi superuenisse ciuium suorum propter quas redeundum haberet: ac pauculum regressus dimisit legatos. his omnia tuta et abisse formionem renunciantibus calchidenses spe et oblate humanitatis et abducti exercitus remissa vrbis custodia cum confestim formior reuertisset: prohibere in expectatam vim non potuerunt. Titulo 17. Romani qui in presidio panormitanorum erant veniente ad obsidionem hasdrubale raros ex industria in muris posuerunt defensores. Quorum paucitate contempta cum incautus muris succederet hasdrubal eruptione facta ceciderunt eum. Uelus prefectus romanorum arcem tarentinorum tenens misit ad hasdrubalem legatos vt abire sibi incolumis liceret. ea simulatione ad securitatem perductum hostem eruptione facta cecidit. Libro 4. et finali titulo finali in fine. Comon dux atheniensium victa classe persarum apud insulam cyprion milites suos captiuis armis induit: et eisdem barbarorum nauibus ad hostem nauigauit in pamphylia apud flumen eusmedoma persequi et nauigia et habitum superstantium agnoscerent nil cauerunt subito itaque oppressii eodem die et nauali et pedestri prelio victi sunt.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 3. Frequentius conuentionum pacisque simulatio crudelis nocuere quam arma.

De simulationibus habendis ad decipiendum hostes: Rubrica 37

Frontinus libro i. titulo 4. Egesilaus lacedemonius cum preda onustus cum frigiam rediret insequereturque hostes et ad locorum opportunitatem lacerent: agmen eius ordinem captiuorum ab vtroque latere exercitus sui applicuit. Quibus dum parcutur ab hoste spacium transeundi habuerunt lacedemonii. Idem tenentibus angustias thebanis per quas transire habebat flexit iter: quasi thebas contenderet: exterritis thebanis digressisque ad tutanda menia repetitum iter quo destinauerat **emersus** est nullo obstante. Titulo 5. Cressus cum aluei vado transire non posset neque nauium aut pontis faciendi copiam haberet: fossa superiori parte post castra deducta alueum fluminis a tergo exercitus sui reddidit. Hyrculeus legatus sertorii cum in hispania inter duos montes abruptos longum et angustum iter ingressus paucas: duceret cohortes: comperissetque ingentem manum hostium aduenire: fossam transuersam inter montes pressit vallumque materia extractum incendit: atque ita intercluso hoste euasit.

De cautelis educendi exercitum de locis periculosis: Rubrica 38

Frontinus libro i. titulo i. Mitridates circunualente pompeio fugam in proximam diem moliens: huius consilii obscurandi causa latius et vsque ad applicatas hosti valles pabulatus: colloquia quoque cum pluribus aduertende suspitionis causa in posterum constituit. Ignis autem frequentiores per tota castra fieri iussit. Secunda deinde vigilia preter ipsa castra hostium agmen eduxit. Libro 2. titulo 13. Triphon syrie rex victus per totum iter fugiens pecuniam sparsit. ideoque ei sectantes antiochi equites moratos effugit.

Uegetius de re militari libro 3. titulo 22. Tui nescient te omnino recedere: quia declines inire conflictum: sed credant arte aliqua se ideo reuocari vt ad opportuniorem locum mutentur: hostis

Commented [CN42]: fol.135vb

Commented [CN43]: fol.136ra

vt facilius superetur: aut certe insequentibus aduersariis secretiores collocentur insidie. Nam ad fugam parati sunt qui ducem suum sentiunt desperare.

De cautelis tute recedendi ab hostibus sine conflictu et diuersis documentis artis bellice: Rubrica
39

Uegetius de re militari libro i. titulo 9. Nihil in itinere eque custodiendum est quam vt omnes milites incedendi ordines seruent: quod aliter non potest fieri nisi vt exercitio ambulare celeriter et equaliter discant. periculum enim ab hostibus semper grauissimum substinet diuisus et inordinatus exercitus. Libro 2. titulo 2. Necesse est tardius ad victoriam peruenire qui discrepant antequam dimicent. Libro 3. titulo 5. Inter reliqua nihil magis ad victoriam proficit quam monitis obtemperare signorum. Titulo 6. In itinere minus armatus minusque attentus est miles et superuentus impetu vel fraude sub sese repente turbatur. Ideo omni cura omnique diligentia prouidere dux debet: ne proficiscens patiatur incursum: vel facile: as sine damno repellat illatum. In campis patientibus equites magis solent impugnare quam pedites. at vero in locis siluestribus vel montuosis pedestres magis formidande sunt copie. Titulo 9. Si equitatu gaudemus campos debemus optare. si peditibus: loca eligere angusta fossis paludibus vel arboribus impedita et aliquotiens montuosa. Titulo 11. Ueteribus seculis mos fuit parco cibo curatos milites ad certamen educere: vt audaciores sumptu esce redderentur et longiore conflictu non fatigarentur inedia. 26. titulo et finali. In sollicitandis suscipiendisque hostibus si cum fide veniant magna fiducia est: quia aduersarium amplius frangunt transfuge quam perempti. Qui confidit equitatu apertiora loca querat equitibus et rem magis per equites quam per pedites gerat. Qui confidit pedestribus copiis altiora loca peditibus querat: et rem magis per pedites gerat.

Gualterius de castellione libro 2. Gladio quam parcat in hostem: / Ipse sibi est hostis: vitamque prorogat hosti. / Derogat ille sue: non clementia bello. / Hostibus esse pium. Libro 7. Tutior vt maneat hostis: nil est quod in hoste / Despicias: tute sit quem neglexeris ille / Fortior hoc ipso multoque valentior hostis.

Commented [CN44]: fol.136rb